

## LI

musq; excepti minime inhumaniter: hodie ex urbe eiecti sumus: in causa hoc fuit. Erat mihi serua mercenaria ex familia non ignobili alipranda: nomine Antonia: & ea quidem puella non inuerecunda. Hanc reliqueramus in cymba una cum Maria nutrice tua: ut tantisper res nostras asseruaret: dum aedes conduceremus. Nam cum Xenophonte sororibusq; tuis ac genero apud honestum cauponem interim diuerteram. Dum post paratas aedes hodie cymbam repeto: quo & res & mulierculas agerem ad aedes: offendo Antoniam subita pestilentiae ui correptam animam efflasse positamq; in ripa: ibidemq; maximum hominum concursum ac tumultum: non potui mihi non metuere in tanta hominum barbaria: sed multo magis filiabus: quas una cum genero in urbe dimiseram. Quid multis? Mibi in urbem regrediendi potestas adempta est: reliquis item nostris ex urbe continuo eiectis. Ruri nunc sumus: quod in suburbio iacet qua itur Mantuam. Vale ex Craemona pridie idus septembres. M. cccc. Li.

Franciscus Philelfus Leodrysis Cribello sal.

si Igrato in me animo esse uolueris: ut & esse debes: & ipse te futurum puto: curabis omnia quae istinc decedens tuae fidei mandauit: & amice & diligenter: imprimisq; ne quid mihi detrimenti domi fiat. Nam te haud latet: quantum nunc furum numerus propter absentiam cuius Mediolani ubiq; noctu atq; die insidietur: ut nullae aedes satis aut clausae istis aut munitae sint. Quare tuae fuerit curae ac beneuolentiae erga me: opera dare: ne quid nobis surripiatur absentibus. Vale ex suburbano rure Craemonensi idibus Septembribus. M. cccc. Li.

Franciscus Philelfus sal. di. plu. Matthaeo Pisarensi aedili curruli.

quod Vod scire cupis: quae me humane & liberaliter Craemonenses exceperint: accipies paucis. Me aduenientem uniuersa ciuitas & uidit: & honorauit egregie. Sed ubi accidit ut mercennaria quaedam mea serua pestilentiali morbo correpta: uitam subito deseruerit: tu